

1576 pitus, vel diffidiorum tempestates compulsæ videbantur. Quamvis enim Henricus, e Sarmatia in Galliam reversus, in Remensi civitate sacro inunctus oleo, acclamatus Rex fuisset, atque ad pristinam pacem regnum redigere, sedatis dissensionibus, præteritorum oblivionem pollicitus, conatus esset; tamen neque officiis, neque promissis rebelles animos flectere potuerat, amplissimumque illud regnum dissidentium studiis factionibusque distractum collabebatur; cum præsertim Franciscus Alenconius, Regis frater, venationis obtentû, una cum Cantabrorum Rege ex aula se proripuisset, Henricoque fratre relicto, Condæo accessisset; scripto vulgato, nulla in parte a veteri catholicaque religione discedere sibi constitutum; sed Gallos omnes cujusvis religionis oppressos atque afflictos sublevare, privilegia tueri, externos Gallia pellere, pacem ac tranquillitatem publicam firmare. His successibus Catharina Medicea, Regis mater, gravi mœrore perculsa, quacumque ratione filiorum dissensiones componere, procellasque civiles sedare adnitebatur. Ex his Galliarum tumultibus quot christianæ reipublicæ incommoda ac jacturæ imminerent, cum Senatus animadverteret, Joannem Michaelium atque Andream Baduarium oratores ad Henricum miserat, qui & initia regni gratularentur, & illum ad concordiam pacemque, cui christiana religio, foederatorum atque amicorum incolumitas niteretur, amplexandam impellerent. Baduarius in itinere morbo correptus, Vercellis obiit. De ejus obitu a Michaelio, Franciscoque Molino, apud Sabaudum legato, Senatus certior factus, Michaelium coeptum iter proseguere iussit. Qui Lutetiam cum venisset, regnum Henrico gratulatus, gravi illum oratione Senatus nomine ad pacem est adhortatus; quam post multa utrimque agitata, æstatis initio confectam, per Arnoldum Ferrerium Senatui significavit; qui Principis, Patrumque collegium adiens, Henrico regnum ingresso nihil antiquius fuisse, inquit, quam ut civilia in Galliis exorta diffidia penitus extinguerentur; multis laboribus & curis exantlatis, tandem pace parta, tranquillitatem regno attulisse: ad eamque cunctis anteferendam rebus Reipublicæ, quam summo existimationis atque amoris loco haberet, suasionibus adductum: pridie vero quam negotium ad exitum perduceretur, pulcherrimam, singularique pru-

*Franciscus
Alenconius
& Cantabro-
rum Rex ab
Henrico
Rege disce-
dunt.*

*Joannes
Michaelius,
& Andreas
Baduarius
ad Henricum
oratores.*

*Andrea
Baduarius
obitus.*

*Arnoldus
Ferrerius
Venetis pa-
cem Gallicam
significat.*